

*βίαιον* s. violentum locum habeat in Voluntate. Quid autem sit τὸ βίαιον docet Philosophus 3. Eth. c. 1. & constat ex Ethicis. Ut autem quaestioni satis queat fieri praenotandum est, duplicem esse voluntatis actum, internum unum, alterum externum. Internus vocatur alio nomine immanens & elicited, quia in ipsa voluntate immanet, atque ab eadem elicited, estque nihil aliud, quam naturalis ad aliquid inclinatio. Externus dicitur actus voluntatis imperatus, quia non ab ipsa voluntate, sed ab alia quadam facultate inferiori, quae imperio voluntatis substat, elicited. His praemissis, patet, opinor, quod is egregiam committat contradictionem in adjecto, qui dicat voluntatem cogi posse, quoad actum elicited, h. e. voluntatem velle aliquid coactè, cum velle nihil sit aliud, quam naturaliter ad aliquid inclinare. Quod si verò quis loquatur de voluntate quoad actum imperatum considerata, pedibus imus in istius sententiam voluntatemque cogi posse autumamus, tantum abest, ut litigiosam recipere ferram cum illo cupiamus.

§. 23. Quæritur II. Quousque se extendat, & quale sit Voluntas imperium? Supra dictum est, voluntatem cœcam esse reginam, ideòque jam meritò inquiritur in illius imperium, cum juxta id, quod vulgò circumfertur in proverbio, nomen sine re & officio, nihil sit. Latè autem & in animâ & in corpore regnat voluntas. Dicto enim obedientes sunt ei que subiacere videtur (1.) ipsi actus intellectus, tam quoad exercitium, ut possis considerare & non considerare rem quamvis; quam quoad specificationem, ut in re dubia assentiri aut dissentire, aut omnem actum suspendere queas prout voluntati placuerit. (2.) dominatur etiam aliquò modo facultatibus animæ sensitivæ, v. g. sensibus externis, visui, ne videat vanitatem seculi, auditui, ne audiat turpilòquia, tactui, ne tangat impura, &c. Sic imperat m. ipsi  
phan-